par M. Meucael
chirurgien françois
a Madrid

De forcipe obstetricia

Instrumentorum farragine artem obstetriciam à veteribus obrutam fuisse fatendum est. attamen si æquo juvat rem pensare animo, non tam acri dignos esse increpatione patebit. Observaverant enim exitum maturi fœtus è sinu materno, etsi erat caput in debito posita, nonnunquam vires et conatus enitentis elusisse, et persæpe hujus expulsioni imparem esse naturam; machinam quamlibet, naturæ vicariam, his in angustiis in auxilium necesse censerunt.

Jam certatim se torserunt; alii illam, istam alii procuderunt; uncum ille, Volsellam alter fabricabat; laqueum laudabat iste; uno verbo diversam suæ machinæ formam, diversam speciem, juxta suam unusquisque fingebat venam.

Cum autem multo labore, fabrefacta machina, etsi unicuique mirum et graphicum videbatur opus inventori, in praxi inanes se praeberent, recudebant, novas excogitabant formas: quod invenerat ille emendabat alter, quod rectum incurvabat; &c. &c. &c.

Insuper, quod excuderant antecessores, res=puebant posteri; hos magno conatu nugas egisse, et incassum sudasse, propriâ edocti experientiâ, opus incudi reddebant, retracta=bant, vel nova edebatur fœtura; sicque per saeculorum millia avorum instrumen=tis nova addita sunt instrumenta; hinc tot et tot inania ferramenta.

Una sufficiebat machina conducibilis, hanc unam efflagitabant veteres; sed nondum exortus erat alter Phidias — egregiam in marmore latentem statuam educturus, nemini huc usque contigerat scopum attingere, et tam praestanti — munere artem obstetriciam donare; qui honor nostro servabatur aevo; inventa est forceps; nova exinde eluxit dies, —

omniaque ferri priora exularunt instru=
=menta.

De tam eximio et tam felici invento, dicere est animus; de variis autem qui illud sibi vindicarunt autoribus agere supervacaneum existimo; sicut de diversis quas experta est forceps emendationibus; una tamen et nuperrima perutilis mihi videtur, de qua non silebo; sed anteà de forcipis utilitate et usu, item, de casibus qui hujus opem advocant, disseram; dein disquirendum veniet an tam grande sit in decussandis et conjungendis hujus instrumenti cruribus negotium; ideòque an nova praestet, quam illi subrogat, et gloriosè praedicat quidam neotericus ponderosa machina?

Jam de forcipis utilitate consentiunt omnes, silentque impii detractores; compertum est enim quoties infantis caput in pelvi praepeditur ad actum et incuneatur, ergastulum solvere, primum et praecipuum hujus instrumen=
=ti esse officium et munus; ~~at~~ quid

sit incuneatio? Satis notum. assignanda tantum veniunt, et variæ incuneationis species, et quæ rem eò deductam esse indicant, phænomena.

Variè potest incuneari caput fœtus in pelvi; vel enim undequaquè premitur et circumsidetur; vel utrinquè tantùm à pelvis ossibus coercetur, vel demum ab unâ solum parte procedit obex.

Tota capitis peripheria in pelvi circumcluditur, si sit caput crassius pelvis quæ diametros mole suâ superet; idem eveniet si transversè + fuerit pro=gressum, vel si præcesserit vultus; seu tota facies procedat, seu faciei pars quælibet; in utroque enim casu, diago=nicè positum caput fit æquò longius.

+ vel oblique

Ab utroque latere detinetur caput infantis, cum à se invicem non geminè distant ischiorum tubera; vel quando sunt introrsum depressa, et pubium symphisis et ossis sacri interna superficies, proindèque à fornicis formâ

aberrat pelvis cavum.

Denique ab uno tantum puncto pendet incuneatio, si nimia sit solius symphysis pubium, vel solius ossis sacri introrsum depressio; si obliquè situm infantis caput in unum è tuberibus ischiorum arietat; si denique conferruminati coccygis ossiculi, — retrocessionem abnuunt.

Quoad incuneationis causas patet vel nimiam in pelvi bene ordinata capitis crassitiem; vel pravum situm; vel pelvim angustatam, vel + tandem vitiatam plus aut minus hujus ossium structuram, incuneationi ansam praebere.

In quâ autem pelvis sede fiat incuneatio nondum strictè fuit definitum; nemo nescit inter infimum fretum, vulgatius incuneari caput; et hanc sedem incuneationis exclu=sivam censerat cel. <u>Levret</u>, cui etiam assensi sunt complures.

Magna est mea erga professorem meum pietas; illi tamen assentiri, hac de re, non liquet; etenim si solam consulas rationem per fretum superius, sic et in medio pelvis cavo, caput incuneari posse patebit.

Nonne si perversa sit pelvis structura, et vitii particeps, poterit esse fretum superius, Nonne itidem pelvis et cavo et freto inferiori bene compositis, poterit angustari fretum superius; Praeterea nonne utroque freto symetrice dispositis vel non, potest coarctari pelvis cavitas.

Insuper, quod suadet ratio confirmat experientia. rarius quidem incuneatur caput juxta fretum superius quam in inferiori; nonnunquam tamen in praxi occurrit, et nullus inter practicos inficias ibit.

Sic et ipsum intra pelvis cavum, si nempe ut dictum est nimis convexa sit ossis sacri* superficies, vel nimis depressa pubium symphysis, quod non raro evenit; et etiam licet suas habeat excutiones pelvis, facilius incuneabitur caput, si oblique fuerit pro=
=gressum.

* interna

At non sola capitis metuenda incuneatio. potest quoque incuneari pars trunci infima, quod tamen negaverunt complures; sed ab oculis dispulit caliginem experientia; saepe saepius enim evenit ut ruptis membranis sese offerant clunes; tunc replicatas infans vel solius ~~naturae~~ viribus expellitur, vel pro re natâ pedibus arreptis eliminatur,

vel denique fidenti animo naturæ commissus pedetentim progreditur, et partum crederes in limine; at spes irrita, diu distinetur, hæret immotus, sese præbent incuneationis phænomena, et reipsâ extat incuneatio,

Diversa et antecedunt, et concomitantur incuneationem capitis Symptomata, seu æquivoca seu pathognomonica; acribus scilicet sub initio torquetur pregnans doloribus, qui dolores in regione lumborum orti non ultra propagantur, nullumque tenent expultricis doloris caracter; interea non modo queritur languida et exagitata mulier, sed fit admodum loquax et garrula, qui molestus ille status nonnunquam biduô plus minusve perdurat, etsi adhibitis vena sectione et balneis et enematis &c.; nulli toto hoc tempore extant ingenui ad partum dolores, his signis futuram olfacit — incuneationem expertus obstetricans. Sunt tamen admodum æquivoca.

Cum tempore tandem efficaciores fieri videntur dolores, coacervatis aquis tument membranæ, rumpuntur, minutatim viam procedit infantis caput, sed tardi sunt

progressus; non prorsus tamen irritus fit
enitentis labor, et multos demum post dolores
+ ast heu! longumque tempus, progressum est caput,+ in
vertice nascatur tumor; ~~ast heu~~! Subito mutata
dolorum indoles, pungentes que fiunt et
acerrimi, sed breves nullius que frugis, et
paulo post omnino subsident.

Nullum inter hæc de inuneatione superest dubium, immotum hæret caput; tumoris in vertice nati sensim augetur moles, et in conspectum fere se prebet; vehementer jactatur mulier, quandoque delirat, nulla fit neque fieri potest excretio; tument genitalia, uno verbo nisi in promptu sit ars auxiliatrix, graviora urgent symptomata, pejorque minatur sequela.

Quod dictum de capitis inuneati symptomatibus, si pauca excipias, ad inuneationem quoque clunium attinet.

hæc autem sunt symptomata futuræ aut jam factæ inuneationis in inferiori pelvis parte, ~~eadem~~ fere sunt quæ nuntiant futuram per fretum superius et pelvis cavum; at unicum est his in sedibus facta, scilicet si perdiu moretur sine ullo

progressu caput, et si urserunt et urgere pergunt dolores acuti sed male indolis; — accidit quoque tumor in capite.

Dum incuneatur caput in inferiori freto, in forcipe unicam spem esse, apud omnes in confesso est; sed non idem sentiunt si sit incuneata pars trunci infima, — adversati sunt enim complures, cel. Levret, qui forcipis quoque usum in hoc casu suaserat; at ego propriâ fretus, et non ita pridem, experientiâ, optime succedere forcipem ad solvendam clunium incuneationem assero

Ad forcipem quoque erit non fugiendum si incuneationis sedes sit, vel fretum superius, vel ipsum pelvis cavum, sed aliter dimensâ forcipe, et additâ quæ dicetur infra elongatione.

his finibus non continetur forcipis officium, latius regnat, et plures alii casus hujus instrumenti efflagitant operam; quoties=cumque periculum est in mora, et nisi cito educatur infans, de sorte suâ in dubium venit prægnans, erit forceps salutis auctora. porro si hæmorragiâ corripiatur, si convellatur, si prostrata fuerint vires, si apopleciâ sideretur &c, at apprimè notandum est, adhibendam

tantummodo esse forcipem, posito quod taxis ope tutò non possit extrahi fœtus, et sit prorsus impedita conversio in pedes.

Auxilium offeret quoque forceps, si jam arreptis pedibus, et infante collo tenus adducto, inanes sint ad extrahendum caput adhibiti nisus, fixum que hæreat seu in superiori pelvis freto, seu in ipso pelvis cavo; quæ si caput ita apprehensum et devinctum non prorsus foras adducit, saltem repagulum solvit, mox que levi obstetricantis conatui cedit caput, et penitus eliminatur infans, quod unâ vice mihi evenit in praxi.

Erit demum forceps perutilis si urgentibus ad partum doloribus prolabatur uterus, caput infantis involvat, et una cum illo in vaginam descendat; idem erit si collapsa vagina membrana interior in speciem tumoris circulati caput cingentis se offerat; in utroque casu inter, seu uteri, seu vaginæ, parietes et caput intromittatur forceps, et hujus ope educatur infans, vel tantum=
=modo divaricatis instrumenti cruribus per unumquemque dolorem, retineatur uterus vel vagina, ut capiti viam prœbeat.

Occurrent forsan alii casus, vel alia impedimenta, quæ ad forcipem compellant,

quæ nondum in praxi mihi obvenerunt; numquam in mentem non incidunt; sed quantum licuit quæ cognosco indigitavi, et oblatâ occasione omnia supplebit rerum prudens chirurgus.

Solvenda nunc occurrit quæstio, scilicet, an in certis casibus obstetricanti detur optio inter forcipis usum et conversionem fœtus in pedes, ut asserunt quidam; pro certo tenendum et axioma esto, quoties cumque potest sine periculo converti in utero, et manûs ope arreptis pedibus extrahi infans, toties relinqui forcipem; et vicissim quoties ita provectum est caput infantis, seu per fretum inferius, seu per superius sine ingenti periculo non posse in pedes converti infantem, proindeque inevitabilem esse forcipis usum; quod ita perspicuum ut serio non dignum sit argumento.

Jam de forcipis dimensionibus agendum; vel indictum intelligitur, Levretianam forcipem præcellentiorem nobis videri, et de illâ tantum agi.

Quæ igitur forceps duabus constat gemellis partibus, quarum unaquæque in tres alias potest iterum dividi, nempè partem superiorem curvam, quam lacertum dicemus,

inferiorem, quo crus vel manubrium potest dici, et excavatum inter utrumque interstitium, quod est junctura sedes.

Unicuique forcipis gemellæ assignaverat Cel. Levret quindecim unciarum longitudinem, quarum octo laertis, sex cruribus et unam juncturæ; quæ juxta eum sufficiebat longitudo ad solvendam inmeationem in omni casu, et reipsâ si ut censebat vir iet. à nimis angusto inter ischiorum tubera spatio, vel à conferruminatis coccigis ossiculis unicè penderet immeatio, id est, si in infimâ pelvis parte solâ fieri posset, sic dimensa forceps obicem superaret; at multis in casibus huic est impar operi.

Scilicet, si sit fretum superius, vel altior pelvis cavea, vera immeationis locus; si quoque arreptis pedibus et collo tenuis adducto infantis hæreat caput immotum in freto superiori, nisus que eludat obstetricantis; experientiâ enim constat his in casibus ter quaterque inductam solitam forcipem nihil frugis dedisse.

Quod edocti recentiores, ex tam benefico quantum potest instrumento fructum

percipere cupidi, illud elongare conducibile censuerunt. Hujus ergo lacertis unciam unam plus minusve addiderunt, intacto manubrio; ab ipso hujus additamenti et in altiori pelvis sede, et in ipsomet freto superiori, caput apprehendere et incuneationem solvere speraverunt; quod revera ita successit, ut perpauci sint inter obstetricantes qui hujus additamenti beneficium non sint experti.

At ultra metam progressi quidam ingenio fervidi et supra fretum superius, id est, in ipsomet superiori pelvis cavo, etiam apprehendi posse caput infantis asserunt, [illegible] incassum.

1° Nemini hactenus contigisse contendo, nemoque verax infitias ibit, proindeque nullâ hic successus fulcitur experientiâ.

2° Si rationem consulas, patebit meram esse ingenii luxuriem hoc placitum; etenim ut possit forceps caput amplecti necesse est ut sit fixum ac immotum; porro caput altum in pelvi supernâ nullis coercetur finibus, fluctuat, ut ita dicam, instrumentumque fugit.

Insuper si metiaris distantiam a vulvâ ad caput in pelvi supernâ jacens, octo

ferè uncias invenies, porrò ut satis ad extrahendum caput hujus peripheria teneàm forcipis. lacerti, tres et ferè quatuor, pollices sunt necessarii; adde quatuor pollices, octo pollicibus et tunc lacertis duodecim, polli=
=cibus opus erit; quod rationi adversatur; Præterea, dum adhuc exstat caput in pelvi supernâ, quâ de ratione illud extrahere tentavi; quis inconsultus et nimium præceps huic operi se accinget; nonne sperandum est nascituras esse uteri contractiones, proindeque harum auxilio progressurum esse caput et fretum superius invasurum; quod si prorsus deest spes, nonne satius erit, nonne faciliùs infantem in pedes convertere, et juxta artis leges educere, si quidem ut supra dictum est non datur optio?

Unum denique superest discutiendum, nempè, an nova machina supra memorata sit forcipe vulgari præstantior et utilior!

Parisiis diversabar, anno 1788 per Paschalia; publicis regiæ chirurgicorum academiæ lætus et sitienti aure adfui, audiviique explurima complura quæ audivi, mihi nova, magni=
=que visa momenti, at obstupui, fateor, auribus accipiens ab uno è magistris in arte

obstetritia, et commentariis, à pluribus magno molis esse intromissos utriusque forcipis gemellos decussare et unà jungere, imo quandoque
bile; fatendum certè non raro arduam
junctionem, sed si naviter et
ssim immissa fuerit utraque, si dextrè
decussandis, conjungendis laceratis, cum
et industriâ perficietur opus, ipse tam
obstetritiâ appello, et si mea mihi lice-
dium proferre experientiam, in omni
gre plus minusve, crura forcipis unà
e me dejero; qui ergo impossibilem
que juncturam esse asserit, errat qui
symphatico afficitur pavore.
e tamen creditâ impossibilitate territus
mono genitis amans, aliud excogitavit
mentum, cujus gemellæ non decussatim
tur, sed tantummodo approximantur
hlea quod instrumentum commodè
re mihi non licuit, sed hujus effigiem
us habeo, et ni fallor ab archetypo —
effigies siquidem in illo tria mihi
sunt foramina ad recipiendam cochleam;
in effigie verò unum tantum apparet. quid
... requirendum suscipio an, conito etiam
quod reverà in forcipe vulgari tale sit incom-
modum, nova sit, proponenda machina?
Si forcipem vulgarem novamque unà

ferè uncias invenies, porrò ut satis ad extrahendum caput hujus peripheriæ teneam forcipis. Cæerti, tres et ferè quatuor, pollices sunt necessarii; adde quatuor pollices, octo pollicibus et tunc cærti, duodecim, polli=
=cibus opus erit; quod rationi adversatur; Præterea, dum adhuc extat caput in pelvi supernâ, quâ de ratione illud extrahere tentavis; quis inconsultus et nimium præceps huic operi se accinget; nonne sperandum est nasciturus esse uteri contractiones, proindè que earum auxilio progressurum esse caput et fretum superius invasurum; quod si prorsus desit spes, nonne satius erit, nonne, faciliùs infantem in pedes convertere, et juxta artis leges educere, si quidem ut supra dictum est non datur optio?

Unum denique superest discutiendum, nempè, an nova machina suprà memorata sit forcipe vulgari præstantior et utilior?

Parisiis diversabar, anno 1788 per Paschalia; publicis regiæ chirurgicorum academiæ cætus et sitienti aure adfui, animum explerunt complura quæ audivi, mihi nova, magni=
=que visa momenti, at obstupui, fateor, auribus accipiens ab uno è magistris in arte

obstetritiâ, et commendavit; ipse à prius magno molis esse intromissos utriusque forcipis gemellos decussare et unâ jungere, imo quandoque impossibile; fatendum certè non rarò arduam esse hanc junctionem, sed si naviter et ad amussim immissa fuerit utraque, si dextrè inter decussandis, conjungendis lacertis, cum tempore et industriâ perficietur opus, tyro in arte obstetritiâ novello. et si meam liceat in medium proferre experientiam, in omni casu, ægrè plus minusve, crura forcipis unâ junxisse me dejero; qui ergo impossibilem quandoque juncturam esse asserit, errat, qui spretus sympathetico afficitur pavore.

Hac tamen credita impossibilitate territus vir humano generi amans, aliud excogitavit instrumentum, cujus gemella non decussatim junguntur, sed tantummodo approximantur ope cochleæ. quod instrumentum commodè inspicere mihi non licuit, sed hujus effigiem in manus habeo, et ni fallor ab archetypo decedit effigies, siquidem in illo tria mihi visa sunt foramina ad recipiendam cochleam; in effigie verò unum tantum apparet. quid pro [illegible] disquirendum suscipio an, omisso etiam quod reverà in forcipe vulgari tale sit incommodum, nova sit, exponenda Machina?

Si forcipem vulgarem novamque unâ

abonnemt. re

Nº 96. JOURNAL DE MÉDECINE.

A Monſieur,

Monſieur BY, maître en chirurgie, rue Grenetat.

A Paris.

conservas, priores etiam vices habere partes; valebi-
1.° Sæpe saepius evenit ut ægrè introimittantur
gemellæ propter resistentiam à capite in pelvi
infixo; ut inter caput et pelvis ossa possit
subrepere forceps, necesse est ut obstetricans
apprehenso membrii extremo, hoc tempore primi
generis efficiat, et patienti animo repetitis
conaminibus gemellas vicissim introducat,
quod certè unicè debetur crurum longitudini,
quod certè non obtinebit tam curta machina.
2.° Non semper secundum latera introduci
potest forceps; quandoque una è gemellis posterius,
altera anterius, plus minusve, pelvim subit; in
hoc posita junctas gemellas et fortiter appre-
hensas, paulatim et methodicis motibus ad
opportunum situm revocat chirurgus, cui
summi favet quoque crurum longitudo; quod
impossibile certè erit, si desint crura, ut desunt
in novo instrumento.
3.° applicata forcipe, juncta fit uniter
retinentur gemellæ ope vinculi arctissimè
constricti, et utriusque manûs firmâ appre-
hensione; quâ non gaudet utilitate nova
machina, siquidem omne tollit onus sola
cochlea, et si pervicax sit resistentia
capitis, cedunt laterti, à se mutuo dimo-
vebuntur, et elabetur caput.
4.° Denique, si urgentes persæpe, urorte
summum renixum, adhibendæ sunt vires ad

extrahendum caput ope forcipis ac anixissimè trahere
cogitur obstetricans; quod non ægrè fit utraque manu for=
=tites apprehensis[+]; quod autem fieri non posset, si ob
crurium brevitatem collocandis manibus non daretur
locus. Inferas ergò huic officio imparesse tam gracile,
tam exiguum novi instrumenti manubrium.

[+] cruribus.

Neque ad novam machinam seorsùm attendendum, ac quam per se parum sit officiosa videbitur. Nonne 1° per transennam potest annotari pondere suo molestissimam esse undè si diu perduret labor, magnoperè defatigabuntur manus chirurgi, quod abstracta morâ, quæ indè exorietur in operando, minimi non est momenti? Insigniori alio notatur vitio novum instrumentum, namque si unicum sit ad recipiendam cochleam foramen, ut in tabula apparet, in spatio ad minimum unciali vagatur cochlea, suam non tenet defixam gemellam, quæ econtra non potest non vacillare; male ergò erit apprehensum caput.

At quod est caput rei, si ardua quandoque est forcipis junctura, unica causa est, pravus unius è gemellis, vel utriusque positus; quando scilicet unius vel amborum axis transversus lineæ quæ à pelvis parte anteriori ad posteriorem ducitur, non est parallelus, id est, quando una vel utraque quasi supina cubat versùs os sacrum. quo in casu quid conducet novum instrumentum? ut ejus approximentur gemellæ, absoluti necesse est ut unius cochlea alterius foramini sit directè opposita, quod impossibile in casu supposito. dum ergò res sic se habent, non facilius jungentur novi instrumenti gemellæ quam densabuntur vulgaris forcipis rami.

at, inquies, cum tempore et industriâ ad situm

opportunum reducentur gemellæ; quod meritò quoque de forcipe vulgari dicendum. + Quis ~~[illegible]~~ negabit tam aptè collocatam forcipem non ægrè decussari et jungi? non ergò tali vicaria opus erit.

Alimidè, ponto etiam quod, directè intro=missæ fuerint gemellæ, vel erunt æquilibres, vel claudicabit libella, id est una gemella altiùs alterâ penetrabit; si sunt æquilibres, idem juvabit forceps vulgaris, ~~tum~~ in eo enim casu ~~[illegible]~~, facili negotio junctio fiet, ut jam dictum est.

Si verò gemella una altiùs alterâ penetraverit, et inanes sint ad obtinendam libellam conatus et industria, tunc si sunt, ut in instrumento mihi apparuit, ~~[illegible]~~ foramina ad recipiendam cochleam, in inferius vel superius, pro re natâ, injiciendâ, claudicabunt gemellæ; quod quoque eveniet si unicum sit foramen; siquidem vel superius vel inferius posita erit cochlea.

Cum inæqualiter apprehensum erit caput, et proindè inæqualiter attrahetur; et de compacto non agentes gemellæ caput dimittent, et inanes extrahentur non sine detrimento.

Vel si non se subducat caput, sic claudicantibus gemellis, una in unam cranii partem agens, altera alteram illi non respondentem premens, suâ extremitate vim vi sibi mutuò non opponent, sibi mutuò non resistent; undè una vel ambæ partem ossis à se pressam affringent quod facile est

judicata.

Omnibus notum est adextrahendum infantis caput, ope forcipis, necessariam conditionem esse, ut interlaminorum curvaturam apprimè contineatur; quod si desit conditio, id est extremis tantùm lacertis astringatur, dum attrahit obstetricans, malè amplexum caput se subducit, et exit vacua forceps, quod quotidianâ probatur experientiâ; porro dum claudicant gemellæ certè inter utrumque curvaturam non accuratè continetur caput, elabitur ergò.

Præterea, sic claudicantibus gemellis, cavitates in quas debet inseri utrumque caput transversi asseris manubrii sibi non respondebunt; unum erit altero superius, obliqua ergò erit junctio manubrii cum gemellis, ideoque manca, et in operando noxia.

Quæ suprà dicta sunt à priori dijudicata et tantummodo conjecta; at non possum non timere quin experientia, si quæ reverà deinceps fiat, alia detegat incommoda. Ulteriùs autem non progrediar, et tantùm salvâ erga virum existimatissimum reverentiâ, dicere liceat, artem obstetriciam novo instrumento perpaucùm locupletari.

Ex doctis, quas ingremio vestro, accepi proceres academici, præceptionibus, quantùm licuit studio et vigiliis fructum percepi. Per vos profecisse glorior; operum ergò —

meorum primitias vobis offerrem æquum existimavi. felicem me! exiguum si benignè accipitis opusculum, et mentem lætitia perfundet, si mercede dignum credideritis; quo mihi merces gloriosius jucundiusque trophæum, mihi erit sti=
=mulus, et animum incendet,+ credite, precor, grati animi et reverientiæ monumentum habebo.

+ æternamque